DEO OPTIMO MAXIMO UNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LUCÆ ORTHODOXORUM MEDICORUM PATRONO.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS MANE DISCUTIENDA IN SCHOLIS MEDICORUM, DIE JOVIS XXXI. MARTII MDCCXVIII.

M. JOANNE PESCHARD, Doctore Medico Præside.

An sit urbis & agri Parisiensis aer saluberrimus?

GRAVITATE aeris ac vi resiliendi intima atque extima corporis afficiuntur. *Elaterium* interni continetur ab externi pondere intrà fines æquilibrii, quo sublato, liquida perturbantur, solida dissiliunt; at elaterio densiùs contracto, motus fibrarum languescit, fluidorum retardatur. Mittimus sectari an habeat aer à se vim resiliendi, an mutuetur à materiâ subtili? Istis se torqueant scrupulis otiosi physici; satis esto nobis manifestum aeri inesse elaterium, undè corporis humani functiones rectè deducimus. Commentum est, vetus quidem, commentum tamen, functionum miracula à particulis sanguinis oriri subtilibus, spirituosis, cerebri glandulosis incerniculis percolatis, atque emissis in partes per tubulos nervorum. Rem diligentiùs scrutare: spiritus nati è sanguine, acti pernici motu, in tenues abeunt particulas: facto remissiori, densantur, quiete torpidi jacent atque inertes. Nedum sint motûs principium, motum ab alio recipiunt. Aer sola vis & potentia naturæ, materialis ille spiritus qui intus agit, ea mens quæ totos per artus infusa molem agitat, hanc Deo virtutem concedente. Expeditus ab alienis corporibus, & pondus & insitam vim resiliendi, nullum passus detrimentum retinet, quia nihil particularum ejus figuris potest inferre mutationem *essentialem*; figuræ verò ita aptatæ sunt ut adjuncto pondere nihil desideretur, quod in primo requiritur motus principio materiali: in omnia genera corporum solida vel liquida sua tenuitate se inserit, mobilitate in primis liquida exagitat, concutit, ex occursu partium ex quibus illa constant, tum ex earumdem raritate aut densitate, situ, configuratione, tum ex omnium ratione ad invicem, passus innumeras determinationes & collisiones, omnes tum à se, tum ex occasione materiæ cui permiscetur naturæ corporeæ generat effectus rectè conjeceris esse figuræ spiralis, ejus particulas singulas habere *compressionis* atque *extensionis* præscriptos limites, quos prætergredi vis creata non potest. Simul collectæ vocantur *Atmosphæra*. Quælibet vicinæ pondere compressa resilit quantum potest: plenè libera maximè expanditur, pondere obruta coarctatur ad rationem ponderis. Undè ex tota mole in *indefinitum* nulla planè sui juris est, nituntur singulæ vicinarum pondus excutere, vim singulæ patiuntur, quàm conantur superare ac repellere. Isto mechanismo tota moles assiduè exagitatur, exagitatque sibi permixta corpora, ad certos motuum gradus, certasque materiæ figuris instructæ rationes. Singula scaturiunt ab eo fonte naturæ phœnomena. Conclusus in humano sanguine premitur pondere totius atmosphœræ, molecularum liquidi, resilit quâ ratione premitur. Ex eâ perenni luctâ liquidorum particulæ particulis aëris implexæ, perniciter moventur, contunduntur, quatiuntur, & in fluidum abeunt, quod par sit tubulorum exilium tenuitati. Istis stat vitæ tenor, istis functiones quæ captum superant. Hoc sublato motore sanguis & humores relabuntur in molem viscidam, nullis patem obeundis functionibus. Non ab aliâ quoque repetendus erit origine motus circuitionis, qui certas sequitur lineas directionis: sanguis in cor ingressus premit velocitate quâ fertur, propriâque gravitate aërem intra fibræ motricis canaliculos inclusum. Fibra fit longior, atque interea sanguis excipitur intra ventriculos. Aer compressus resilit, expanditur, fibræ ipsum continentis diameter fit amplior, & ideò fibra fit brevior, ventriculi angustiores subitoque coarctati, sanguinem suis collectum sinubus magno impetu in patentes arterias adigunt. Erit cæterarum functionum ratio similis. An primùm ingreditur aër pulmones recèns nati, quia thoracis musculi dilatantur? An è contra dilatantur, quia ingreditur aer? Quæstio ex facie difficilis facilè solvitur. Dum latebat infans in utero conclusus, aer in sanguine, & partibus ejus solidis premebatur pondere partium solidarum corporis illius, tum etiam uteri, tum atmosphœræ. Nato infante pondus uteri detrahitur. Hac sublatâ resistentiâ fit liberior, potentiùs vires exerit, intumescunt musculi thoracis, & quia omnia plena sunt, externum aërem in pulmones impellunt; illuc enim fugit ubi minus premitur, non solùm pectus inspirationis motu concameratum in sinus suos adigit aërem circumfusum; confert etiam plurimùm ejus vis elastica in pertusam trachæam-arteriam; canis viventis inseras tubum ferreum: aptaveris alteri extremo vesicam aut phialam vitream aëre plenas; haud minus solito more canis spirabit; vas autem alterutrùm, inspiratione vel expiratione alternantibus, alternatim, aëre vacuabitur vel replebitur sic internus aer in prima inspiratione, externo præbet aditum; sic solidis & liquidis motum ad certas rationes impertitur, semper salubris, & vitæ beneficus autor, quandiù non scatet crassis ac sulphureis expirationibus & viscidis, quibus lutulenti atque ad motum tardi fiunt liquores, aeris quem ducimus intricatâ vi resiliendi. Si certis in regionibus ab illis quibus inquinatur sordibus facilè se expedire non possit, graves noxas infert & lethalem perniciem.

ISTIUS habemus autorem doctrinæ magnum Hippocratem „*aer, inquit, sanè maximus est in omnibus quæ corpori accidunt, & autor & dominus: Quare operæ pretium est ejus potentiam diligenter perspicere.... mortalibus autem vitæ, & morborum ægrotis solus is est autor.... undè non aliunde unquam verisimile est morbos evenire, quam inde.... si „ is aut plus aut minus, aut cumulatior, aut morbidis sordibus inquinatior in corpus se ingerat...... demonstrabo omnes morbos ex hoc oriendos, corporibus innasci ac generari; primùm autem à communissimo morbo febrili exordium sumam &c. Pondus aeris & vis resiliendi, à seipsis incorrupta atque integra patiuntur *accidentales* mutationes ex miscelâ corporum, in præcelsis montibus aureo arverniæ, insulæ *Tenerif*, &c. Utraque virtus quam maximè expanditur, undè *elaterium* infringitur, & pondus diffluit, ut aer istorum cacuminum prorsùs alter ab agrorum aëre videatur. Vesica constricto collo flaccida in montium pedibus, in vertice intumescit ut dissiliat Agris incumbens, nec crassis vaporibus, nec calore, nec frigore à solito pondere toto in orbe plurimùm visus est sensuum judicio dimoveri. Sub zonis calidis & frigidis in Oceano, & continenti mercurius ad 28 pollices, aqua ad 32 pedes ascendunt. Pondus tamen non nihil remittit vel augetur pro vaporum aëris particulis inhærentium crassitie vel tenuitate, calore vel frigore. Expirantia à lacubus putribus aut terris sordidâ uligine fœtidis vim aëris irretiunt, implicant spirales particulas quodam quasi visco ut sic irretitæ vix se possint explicare, undè resiliendi vis sequitur ponderis mutationes prò gradibus laxitatis aut coarctationis. Thermometra & Barometra ponunt ob oculos istas vicissitudines, quibus fit ut ab æquinoctio Autumnali ad solstitium Hyemale quâlibet die minùs libram circiter perspiremus, indè usque ad æquinoctium Vernale incipiamus liberiùs perspirare *Sanctorius*. Spissa viscidaque sulphura quæ spiritu ducimus, duplici sanguinem vitio inficiunt. Is liquor ex carnibus, cæterisque alimentis expressa gelatina opus habet ut illi permixtus aer exerat assiduè vim *elasticam* ad ipsum contundendum ut in liquidum subtile facescat, quò fluat liberiùs; secus, ad pristinam brevi quiete relabitur spissitudinem, conglobatur, coagulatur. Gelatina animalium ab igne liquescit, & aquam fluentem tandiù refert, quandiù perstant igneæ particulæ, ubi evanuere, abit in viscus adeò tenax, ut ipsum quo asseres conglutinantur, sit gelatina quam boum pedes, aures, &c. suppeditant. Sulphurea miasmata (atque istud est alterum vitium quod ab impuro spiritu sanguini inuritur) acerrimæ, quandoque causticæ sunt indolis, ut vincula sanguinis celerrimè solvant, discerpendo texturam, eâ laxatâ labitur in grumos, & serum exurens, quo gignuntur in illis horrenda symptomata qui peste aut venenis interimuntur aut etiam fumo antimonii, carbonis, mercurii, arsenici, &c. sales vitriolici, aut alii aculeis scindentibus instructi ex istis erumpunt, adacti ignis vi, hausti spiritu, in sanguinem infusi, subitò totam ejus texturam evertunt, concretâ parte sulphureâ functiones citò extinguntur, nisi aliquando strages, & lethale coagulum aut frigidâ statim aquâ affusâ, aut spirituosis oleosis pro discrimine venenorum, celerrimè cohibeatur. Aëris liberi vis *elastica* calore vehementi etiam minuitur, augetur aëre concluso intra vasis latera. In priori casu, in fusis particulis à quibus calor exoritur, moles aërea nimis expanditur, & distractæ vires debilitantur. Linteum patens luculento igni objectum, avicula papilio in flammam aguntur præcipites ab aëris frigidioris, & ideò constrictioris urgentis à tergo, præpollentibus pondere & *elaterio*, quibus sustinendis calidus est impar, viribus divisis & fractis; hinc obturato collo ad ignem admota vesica non raro dissilit, quod nequeat externus aer calidus interni resilientis impetum repellere, aut in æquilibrio continere. In posteriori intra latera vasis aëri non datur spatium effluendi, & sese explicandi. Igneæ particulæ tum velocitate quâ torquentur tum suo pondere premunt aereas, quæ tantum resiliunt, quantum premuntur. Hæ sunt quas aer patitur mutationes, quas corporum potest humoribus inferre. Igitur ex Hippocratis doctrinâ, & experientiâ, ille in humani corporis functionibus, aut functionum læsione maximam sibi partem vindicat. Potens est autor vitæ & morborum pro raritate vel densitate, prout scatet sordibus, aut ab eis liberatur. * *L. De Flatib.*

ATQUI Parisiensis urbis & agri vaporibus noxiis aer vulgò non obscuratur, & insalubres, si qui sint, facile situ locorum tolluntur. Primus ex scriptoribus Julius Cæsar de *Parisiis* mentionem fecit. Fuit ab illo subacta; brevi, jugo excusso, iterum redacta in Cæsaris potestatem, qui eò transtulit supremum *a* Galliæ consilium, unde conjicere est Romanos ibi Proconsules in Galliam missos sedem fixisse; fixit *b* certè Julianus Proconsul creatus à consanguineo Constantio Imperatore, quo postmodum extincto, à *c* Parisiensibus salutatus est Imperator. Urbem *d* vocat ipse τὴν φίλην Λευκετίαν, charam Lutetiam: opulentam, florentem, populosissimam extollit. *e* Valentinianus primus, dein *f* Gratianus reduces à bello Allemannis indicto Lutetiæ hyemabant. Præbuit sedem Merovæo, & Childerico. Tandem *g* Clodovæus ditionis suæ caput esse voluit, eoque ab istis temporibus gaudet insigni titulo honoris. Ne mireris numero ædificiorum & magnificentia superbire. *h* Lapis Calcarius, *i* specularis ex quo gypsum, *k* sectilis, cœmentum *l*, terra pinguis quæ induratur in laterem *m*, & *n* laterculum coctilem, commodè non longè ab urbe reperiuntur quibus crevit ad eam magnitudinem quam hodie suspicimus. Ex decem vicis ultra citraque Sequanam positis in unum coagmentata, mœnibus à Philippo Augusto cincta fuit. Opimus est & fertilis tractus Parisiensis. Septemdecim amnes *o* pares vehendis lintribus in Sequanam præcipitant, quibus asportat ad urbem omnium Provinciarum divitias, imo totius orbis opulentiam, tum quia in Oceanum & in Mare Mediterraneum non nulli ex istis amnibus influunt, tum ipsâ Canalium arte constructorum communione. Sic terris & urbibus mare, terras & urbes mari Sequana conjungit, sic gentes omnes commercio cum Lutetia miscet, ut quod genitum est usquam illud Parisiis natum esse videatur. Sic usibus ingentis populi omnis generis annona exuberat, unde satietas, nec fames usquam. Divitias non asportatas è longinquo sed in agro Parisino natas dixeris. Quis illum istarum sterilem suspicetur? Sequana, ut alter Nilus, alendis, augendisque seminibus, ita gloriari potest, ut tellus nihil aliquando debeat imbribus & cælo, proprio semper amne perfusa; alio genere aquarum ferè non pinguescit, quam quas ille devehit. Tantis segetibus, oleribus, & fructibus induitur, ut cum feracissimis agris quasi nunquam cessura possit certare. Terras & cæcis canalibus & benigno rore ex alveo erumpente, sic irrigat, ut usque ad injuriam sterilitatis raro exarescant. Visæ sunt æstiva tempestate non semel alto pulvere incandescere, populus cælum respexit, nubila optavit: Fluvius parens fœcunditatis ubertatem annonæ per agros effudit, nubeculis tenui rore turgentibus segetes involvens, sic damna resarciebat quæ ex imbrium penuriâ imminebant; circumactus per longa & flexuosa itinera, Mæandrum imitatus, placido, mollique lapsu, tardiùs festinat terram beatam relinquere. Dum campos irrigat aquis salubribus omnium regionum spolia tergo transportat; deportat ad gentes cæteras opulentiam suam, revehit ab illis thesauros, aromata, &c. Ut quæque pretiosissima sint velut inquilina: exturbat apud extraneos mala sterilitatis, suis incolis bonas fœcunditatis largitur, gentibus omnibus beneficus, suis salutaris. Hinc sine flumine numquam urbs ad eam magnificentiam quam exteræ nationes invidiosè admirantur, se se extulisset. *a Lib. de Bello Gallico. b Anno 358. c Ammian. Marcell. à lib. 15 ad 20. d Lib. μισοπώγων ἢ Ἀντιοχικός. e 365. 366. f 383. g 508. h Pierre à chaux. i Talc. k Pierre de taille. l Moilon. m Thuile. n Brique. o Le Commiss. la Marre.*

TRIA commoda situ felici, & naturâ loci cœlique obtinet Lutetia, quæ desiderat Hippocrates * in salubri civitate. « Quæ quidem urbes, inquit, benè sitæ sunt ad solem, & ad ventos, & aquis bonis utuntur, hoc minùs à talibus mutationibus afficiuntur; quæ verò aquis palustribus, ac lacustribus utuntur, & non bene sitæ sunt ad ventos & ad solem, hæc magis. Appositus est hujus loci commentarius urbis & agrorum ejus descriptio Tellus quâ circumscribitur, pinguis est arena, nec paludibus infecta, nec consita sylvis, nec montibus, quorum vapores aeri labem inferant, neque reptilium, neque animalium venenatorum, quæ sunt terræ uliginosæ, aquæ deterrimæ lacustris nullo, vel pigro lapsu repentis, & crassi aeris progenies, ferax esse deprehenditur, venti perflant undecumque, & tollunt damnosa miasmata, nec montium, nec sylvarum obicibus intercepti aut retardati. Illi ab urbe longiùs dissiti, & cacuminibus depressis, hoc minores ac rariores sunt, quam ut possint cursum ventorum cohibere, tam utilem ac necessarium excutiendis perniciosis terrarum expirationibus, aut illuviei exhalanti tollendæ, natæ ex promiscuo numerosissimi populi coalitu, efficiunt ne corruptelam contrahat aer, perennis magni fluminis aquarum exagitatio, motus assiduus & concursationes plebis trepidantis, ignes toto anno ex domibus fumos eructantes. Græcas urbes per plateas accensis ignibus vel à peste liberavit Hippocrates, vel reddidit securas. Parisiis æquam vulgo servant inter se rationem anni tempestates, nec acerrimo solis æstu torridæ, nec vi frigoris intolerabili obrigentes. Hyemem ver temperatum ex æquo ab utroque extremo recedens excipit; nubila & pluviæ mitigant æstivum calorem. Istis vicibus nec pestis, nec morbi contagiosi qui per zonæ torridæ tractus grassantur frequentes diuturno urentique ardore gignuntur, nec scorbutus aut peripneumoniæ, nec ferinæ tusses, nec rhumatismi sæviunt, ut illis in regionibus, quæ ad arcteum gelidam prospectant. Autumnus principio refert æstatis declinantis calores, sub finem primos hyemis morsus. His adde urbem ab Oceano justo dissitam esse intervallo, si propiori staret, perpetua nubila obducerentur, ut Londini, Copenhagæ, Amstelodami, &c. Ubi penè lucis etiam fugacis usus aliquando eripitur; si longiori: nubeculæ per vices ex Oceano in aerem diffusæ non refrigerarent. Ex repressâ insensili transpiratione vel manante copiosius, velut ex uberrimo fonte scaturit morborum omne genus: affatim erumpente corpora contabescunt, ut fit in aere subtiliori, sicciori, calidiori, cohibitâ aut interturbatâ in frigido & crasso, sanguini omnem inurit corruptelam. Alienus est ab utroque vitio aer Parisinus: hyeme atque æstate ab autumno & vere contemperatis, subitis atque extremis corpora mutatio ibus non læduntur neque transpirationis effluvia vel nimis urgentur vel citò coercentur. Parisiis ferax est autumnus morborum qui hyeme ut plurimum fugiunt, ratò ad ver protrahuntur. Debacchantur crudeliter aliquando febres malignæ, variolæ, peripneumoniæ, sed vix fiunt epidemicæ, sæpiùs hyeme profligantur. Morbi populares, ut scorbutus, ab aliquot annis grassatus in plebeculam, non aeris vitio, sed vitiosæ annonæ rectè adscribantur: Beatus etiam rerum copiâ populus uti si sciret, abusu fit miserrimus. Plures occidit gula quam gladius. Non servat quantitatis alimentorum rationem cum exercitationibus, quibus parum sublevatur gravatus stomachus cibis suavissimi saporis, gulæ irritamentis languida, vividioribusque penè detrita palatia in morsus reficientibus. * *Lib. de aer. loc. aq.*

Observatum est à pluribus sæculis Parisinos corripi morbis contagiosis ex negligentiâ vias urbis, plateas ac domos à sordibus & luto purgandi. Teste Rigordo Medico, & Historiographo Philippi Augusti fœtor abominandus ex cænosâ viarum colluvie & spurcitiâ exhalabatur ut ipsius Regiæ penetralia inquinaret. Princeps, medici adhortationibus factus animosior anno 1148 vias silicibus constravit; quod alii Reges operis magnitudine deterriti detrectaverant. Mutato *Lutetia* nomine, urbis tum primum dicta fuit *Parisii*. Ut Reges, Senatus, & Magistratus sequentibus sæculis pestis & morborum causas & occasiones ex contagio præscinderent, Edicta legesque plurimas emisere, à quibus, quod plurimum ad Ludovicum XIV. descivissent Parisini, sub initium regni illius, ocreati sordium metu, incedere cogebantur. Huic summâ diligentiâ Rex incommodo prospexit atque consuluit. Et quæ Hollandiam, Belgium, Campaniam, Normaniam, Picardiam, ad Bellovacum anno 1668 pestis depopulabatur, cæteris regionum istarum occlusis urbibus, positis custodibus, Lutetiâ apertâ, profugos ex illis in sinum excipienti, cives non læsit. Si diligenter pavimento stratæ sint viæ, nihil & pestiferæ expirationes, & horrenda contagia nocebunt.

Quot cives, tot testes salubritatis aëris Lutetia complectitur, quibus potandam præbet aquam Sequana. Hic bonitate superat Enteum, Coaspum & Gangem, quorum ex omnibus fluminibus Reges Persarum, Parthorum, Mogolorum, aquas eligebant. Compertum est experimentis nullam aquâ pluviali quæ è Sequanâ exhalat, esse suaviorem, leviorem, tenuiorem, ideòque salubriorem. Hæc nascitur salubritas aquarum, tùm ab alveo arenoso, à fœdâ uligine puro, tùm ab aëre quo verberantur. In illas infundit salem nitrosum, subtilem, volatilem, à quo & ipsa tellus istis aquis diluta, aut pluviis perfusa, trahit fœcunditatem, bonitatemque, quam fructibus quos è sinu profundit, impertitur. Docuit experientia rudes hortulanos terram aquâ puteali non ante perfundendam, quàm aëri patenti aliquandiu objecta, benignos ejus influxus hauserit. Agri Parisiensis pagi & villæ frumenta, fructus, olera, & legumina omnis generis, in cibos suavissimos numerosæ plebi suppeditant, à quibus & inculpatâ utitur sanitate, & nunquam, nisi vexet miseram annonæ caritas, læsam fuisse deprehensum est. Sancti Clodoaldi, Surennæ, Argentolii vina, à Burgundo & Campano sapore superantur, quòd nimiâ stercoratione vites urgeantur ab avaro Vinitore penè solius quantitatis studioso, sed fortè Burgundo Campano salubritate non sunt inferiora; neque enim ideò salubria sunt alimenta, quia sapore gustui blandiuntur. Tenuia sunt hæc vina, pauco sulphure & sale fœta, at phlegmate turgent plurimo, quò magis ad aquam simplicem dissolvens illud universale, accedunt; hinc ab illis faciliùs feliciùsque solvuntur argumenta.

Octies ad nonagies circiter centena millia civium, decem mille pagi aut villæ ad decem circà urbem leucas in agro Parisiensi disseminati, arguunt nec malesanum esse aërem, nec à terrâ tetris expirationibus devorari habitatores; neque fœcundissimis locis ager insalubris paratur, neque effœtis saluberrimus. Frustrà salubris est locus, ubi peritur fame; frustrà fertilis est, ubi non licet vivere: sic ubique salubritas juncta est fœcunditati. Quot ægri morbis in urbe correpti, aut pertinacibus, aut lethalibus, vel prorsùs in aëre rusticano Parisiensi sanantur, vel saltem, mitigato morbo, & feliciùs & diutiùs vitam protrahunt Carcinoma ulcere patenti mulieris mammam depascens Altavillæ, solo tepidæ fotu, præter spem, tribus mensibus, ac paucis annis fuit omninò sanatum: scilicet tenui ac penetranti ruris aëre sensim illæ solvuntur humorum coagulationes, quæ in urbis aëre densiori contrahuntur. Cachecticis, eligatur siccus & subtilis; Phtisicis, Macris, & pectore debilioribus crassior nemorum aut fluminum vicinia.

a Veteres ex populorum moribus aëris in quo vivebant, indolem deducere solebant. Parisinorum sunt mores suavissimi atque honestissimi, ut hospites vix ab illis averti se patiantur, ut socii Ulyssis: Illic Sirenes, & coguntur fateri se domi suæ non tractari meliùs. Convivia & congressus condiunt, atque exhilarant facetiis ac leporibus, ne tædium aut fastidium obrepat. Non confabulantur cum hospitibus, ut cum ignotis, sed velut cum olim notis ac familiaribus. Ex istâ Parisinæ gentis humanitate, ita totius nationis per Europam & Gallicæ elegantiæ fama dimanavit, ut Parisinos quasi morum Magistros adeant, audiant, atque imitentur extranei Nobiles, ipsique Reges potentissimi linguæ studeant, libros evolvant, instituta & vitæ rationes scrupulosiùs in se referant, quò propiùs quisque studia Parisinorum assequitur, eò magis crescit illi fama apud populares ejus, quibus inest sensus. Accipiunt imprimis à mulieribus Parisinis in quibus mira est ingenii & formarum felicitas, hujus expolitæ humanitatis disciplinam. Rident illæ, sed cum dignitate; lasciviunt, sed decorè; lusitant, sed graviter; lepidis, ingeniosis, acutis festivitatibus, alunt audientes, ac docent; condiendo urbanâ comitate ac fabulis sermones, ingenio capiunt audientes, animum pulchritudine. Acertimo judicio magnas aliquando secant res, ut viros omni doctrinâ, & longo rerum usu, prudentissimos non pœniteat aliquam in consilium advocare. Sexûs discrimen sapientiâ negligitur. Ex urbe humanitas, doctrina, jura, leges, Medicina, opera magnifica, exquisitæque artes, & ortum duxêre, & perfectæ sunt, atque in omnes terras distributæ. Plurimas in Europâ Christianâ peperit Academias Universitas Parisiensis, è cujus sinu prodiêre Varrones, Bartholi & Cujaces, Augustini, Hippocrates. *b* Parisienses sibi Theologicæ scientiæ laudem omnibus propè submotis, peculiariter arrogant. Hinc Summi Pontifices Lutetiam magnificis laudibus extollunt. Hic *c* vocat aliam Cariath-Sepher, civitatem Litterarum: ille *d* Scientiarum flumen, quòd in totum orbem diffunditur. Philippus Pulcher *e* ab illâ, velut à primâ origine testatur omnem fluxisse doctrinam. Unde Conciliis *f* generalibus Universitas per Legatos ut oraculum interfuit, & rebus gravissimis atque ancipitibus implicati, ab illâ sententiam rogavêre, & sequuti sunt Summi *g* Pontifices, Reges *h*, Episcopi, Senatus & Populi; hanc à pluribus sæculis collectam famam alit augetque Lutetia in dies, ut sibi sociam Roma atque Athenæ facilè adsciscerent. Felicem terram! uteris purissimo cœlo atque aëre saluberrimo, quæ tot viros tantæ gloriæ sustinendæ pares tamdiu in sinu tuo protuleris vel in sinum exceptos excolueris. Erit ultimum salubritatis aëris Parisini argumentum Facultatis Parisiensis toto orbe celeberrimæ testimonium: Hæc jussu Philippi, quo duce & auspice tuti vivimus, hortante & promovente Archiatrorum Comite *i*, qui gravi & laborioso officio tantâ sedulitate defungitur, annis 1715 & 1716 convocata pluries, ut judicium ferret an tenerrima valetudo Regis infantis, qui spes & deliciæ populorum, ab aëre Parisino non læderetur, censuit esse saluberrimum, & confirmandæ Regiæ sanitati aptissimum; quod Facultatis judicium felici eventu comprobatur. *a Virgil. Georg. l. 1. v. 417.* Verùm ubi tempestas & cœli mobilis humor, &c. *Juvenal. Satyr. 10.* Vervecum in crasso jurares aëre nasci. *Horat. l. 2 Epistolarum*, Bœorum jurares in crasso aëre natum. *b Erasmus in μωρία. c Greg. IX. Epist. ad sanctum Ludovic. an. 1232. d Urban. V. an. 1366. e An. 1311. in Privileg. Chirurgis Parisiens. concesso. f Pisano 1408. Constantiensi 1414. Basiliensi 1430. g Innoc. III. 1207. Gregor. IX. 1240. Innoc. IV. 1246. Honor. III. 1217. h Philipp. Pulcher. 1307. Philipp. Valesius. 1322. Ludovicus XII. 1512. Carolus VI. 1396. Carolus VII. 1438. Ludovicus XIV. 1688. i Ludovicus Poirier.*

QUÆ primùm concessa est aëri natura, hanc pertinaciter retinet, excussis terræ vaporibus, quibus implicatur purior, nativum pondus & *elaterium* nullum passus detrimentum recipit; similis ille Mercurio, qui, detractâ larvâ ab igne inductâ, ad se redit incorruptus; sic aër vitium ab alieno mutuatur, semper à seipso salubris. Sulphura *arsenicalia*, sales vitriolici, acidi, fixiores ex paludibus, fodinis metallicis, sylvis densioribus, terris defossis fœtido humore solutis, putribus cryptis, sordibus diuturnâ fermentatione maceratis erumpunt, & officiunt aërem; hanc venenatam gravemque Mephitim spiritu ducimus. Tacitè venenum istud aliquando dilutius, mollius, nec apertè sæviens in sanguinem infunditur, quem lento & obscuro progressu serpendo figit. Inde frequentiùs causæ morborum densis tenebris obvolutæ fugiunt perspicacissimos; aliquando confertus, æstuansque sævo malo spiritus, subitam infert perniciem fluenti sanguini; quo statim represso, mors citissima invadit, ut sæpiùs accidit ex fumo carbonis, expirationibus plurium doliorum novo vino ferventium, aut Cucurbitarum Chymistarum, qui metallica & mineralia igne torquent, si fumos imprudentiùs hauserint, quandoque celeriter præfocantur sales & expirantia sulphura è metallicis igne liquatis eâ sanguinem ratione afficiunt, quâ spiritus vitrioli in vulnus animalis infusus; sanguis & cæteri liquores inspissantur, densantur lethali coagulo, ut apertis cadaveribus deprehensum est, & venæ sectione tunc celebratâ patet; vel nullus erumpit, vel statim ut tenax viscus sanguis concrescit. At, inquies, mores & *a* morbos hominum temporum mutationibus adscripsit Hippocrates. At nullus terrarum tractus Parisiensi magis istis mutationibus patet, nullus utitur tam vario mobilique cœlo. Sed Scriptor *b* perspicax intellexit mutationes magnas, ut ait ipse, frequentissimas, plurimùm inter se diversas, quæ possint naturam permutare: » Ubi *c* autem non valde variant tempora, *inquit*; illic æqualissima » regio est, quod idem & de hominibus ipsis est intelligendum. « Neque autem magnæ sunt Parisiis, neque diuturnæ, licèt frequentes mutationes. Acria frigora diu non sæviunt; æstus & imbres penè æquatis vicibus regnant. Hinc nulli sunt morbi Epidemici, nulli Endemii. Qui suboriuntur, citò relinquunt stationem, nullo superstite vestigio. *a L. de aëre, locis & aquis, §. 34. 53, & seq. b Aphor. 1; sect. 3. c L. Citat. §. 34.*

Nullus circà Parisiensem aërem nos scrupulus angeret, si solùm ubi regnat, tantùm spectaretur, nullum fortè toto orbe naturâ situque felici salubrius est. Si corruptelæ obrepant, erunt in casus & alienas occasiones refundendæ, ut sordes ex coalitu plebis ingentis oriundas, stercora, latrinas, cadavera mortuorum intrà urbis septa conditorum, nosocomia, lanienas. Mirum ab istis frequentissimè in urbe pestem non debacchari, & funerum vastitate non orbari civibus. Tot ad capularem senectutem vitam Lutetiæ protrahunt, quot ubivis terrarum: quod acceptum Regum diligentiæ, & Magistratuum vigiliis referre debent; horum negligentia circà munditiem semper fuit civibus exitialis, ut fidem faciunt Historici; sed ubi obtemperare Legibus & Decretis parere religio fuit: & contagia mala, & morbi Epidemici & pestis evanuerunt. Innumera sunt à Divo *d* Ludovico ad hæc tempora Regum Diplomata, Senatusconsulta, Magistratuum urbis præfectorum Statuta, quibus ab urbe vel arceantur animalia quorum fœtore aër inquinaretur, vel domorum ac viarum mundities imperatur, vel jussa præscribuntur Lanionibus, Salsamentariis, Coriariis, &c. ne totam urbem reddant pestilentem; vel penitus Artes ex urbe pelluntur, quæ aërem inficiunt, & figulina ob metallicos vapores erumpentes ex argilla, vel spectant ad flumen, ne putribus inquinetur, &c. *d An. 1191.*

Ergo est aer urbis & agri Parisiensis saluberrimus.

Proponebat Parisiis LUDOVICUS-CLAUDIUS BOURDELIN, Parisinus, Baccal. Medicus. A. R. S. H. 1718, à sextâ ad meridiem.

Ex Typis J. QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.